



Bertholdus multis uirtutibus insignis Saxonū
dux fuit, Anno Christi sexcentesimo quadra-
gesimo. Hic ob rerum prudētiam & insignem rei
bellicæ usum magnum sibi nomē compararat. Ac-
cidit autē ut cū Dagoberto Austrasiōrū rege de fi-
nibus disceptaret. Itaq; Dagobertus sua potentia
fretus, Rhenū transiit atq; Bertholdū bello petiit.
Verū prēlio cōmisso, uictoria penes Saxones fuit.
parū etiā abfuisse, quin Dagobertus de equo præ-
cipitatus, in hostiū potestātē uenisset. Hāc suā for-
tunā Dagobert. domū reuersus patri Clotario cō-
questus eundē in auxiliū acciuit, & magno appa-
ratu bellū restaurauit. pari fortitudine Bertholdus

hostibus obuiam progressus est, magna uictoriæ fiducia. Vix enim quisquam
ei persuadere poterat, senem Clotharium huic bello interfuturum. Cum autē
eum cano capite cognouisset, prælio inuito, magno animo Bertholdus in den-
sissimum hostium agmē irruit, & Francorum reges petere statuit. Verū un-
diq; oppugnatus, fortiter pugnādo interit. Eius clade cognita, Saxones Fran-
cis uictoriam reliquerunt, & eorum tributarij facti sunt, quingentos boues an-
nuatim persoluendo. Crantz. in Sax. lib. 1. cap. 31.